



M V T I V S V I T E L L E S C V S

Societatis IESV Prepositus Generalis. Uniuersis & singulis presentes literas inspecturis salutem in eo qui est uerax salus. Non solum ratio, sed etiam experientia semper ostendit, piorum hominum Sodalitates, praesertim sub B^{ma} Virginis Mariae tutela uisitas, magnam habere vim ad pietatem augendam, tum ob peculiare ac certum ipsius Dei Matris patrocinium, tum et proprias, quae in ipsis esse solent, virtutis ac religionis exercitationes, tum denique ob mutuam exemplum, quod quidem valde efficax esse solet ad hominum animos in omnem partem facile ac suaviter impellendos. Hanc ob causam cum Societas nostra, omnibus, quae suo iustitiae conueniunt rationibus, proximorum salutem, ac perfectionem in spiritu uiuare, ac promouere cum Deo studeret, ne hanc quidem cuius efficaciam experta est, omittendam putauit. Quare cum Gregorio sel. rec. Pape XIII per P. Claudium Aquauiuam pie me. predecessorem nostrum, exposuisset, Romae in Collegio nostrae Societatis instituta iam praedem esse Sodalitatem Scholasticam, titulo Virginis Annuntiae, cuius deinceps exemplum secuta Iuuentus, quae in variis Collegiis nostris, Scholis erudiebatur, eandem formam, eisdemque pietatis exercitationes magno suo bono arripuisset, ac proinde opera precum uideri, ut quod tam pium opus quouidie magis promoueretur, Pontificia auctoritate non solum confirmaretur, sed et spiritualibus beneficiis ornaretur. Placuit eidem GREGORIO ut erat animo ad diuinum honorem omni ex parte amplificandum, primum in hac quoque re pro ipsius Dei gloria eiusdem nostri predecessoris postulatis annuere, idque litteris Apostolicis quarto Nonas Decembris Anni M. D. LXXXIV. datae confirmari. Primum igitur in Collegio ipso nostro Romano Primariae Congregationis ex Scholasticis nostris, et ex alijs simul fidelibus, sub titulo Annuntiationis B. Virginis Mariae, Apostolica auctoritate erexit, et instituit, quae variis Indulgentiis ac praerogatiuis ex Ecclesiae thesauris liberaliter impertire. Deinde Praeposito, vel Congregationis generali quemcumque pro tempore esse contigerit, potestatem concessit, ut in quibuscumque alia Societatis nostrae Collegiis alias eiusmodi Sodalitates ex ipsis Scholarum Discipulis, eandem simul ex alijs, quos ad id pietatis studium per mouisset, sub eodem titulo Annuntiationis B. Mariae Virginis, sine ulla tamen Collegiorum, vel Ecclesiarum, quae ad ea peruenire praesidio erigere, easque huius Romae, et Primariae tanquam membra Capituli aggregare liceret, itaque iisdem gratis, Indulgentijs, peccatorum remissionibus, ac reliquis omnibus Priuilegijs fruuntur quibus ipsa Primaria. Quarum quidam Congregationum, uti Primariae, quam eam, quae ei annexae, et subordinatae sunt, idem GREGORIVS Societati nostrae curam ita commisit, ut ad Praepositum, vel Vicarium generalem spectet perscriptum, vel per alium quemcumque Societate ab eo delectum eas uisitare, et ad rectam eorum administrationem quaecumque Decreta condere, et quae iam condita sunt, expendere, quatenus deinceps pro rerum, ac temporum conditione, et in Domino iudicauerint, immutare, corrigere, et reformare, sed et postea sel. rec. Sixtus Papa VIII ipse quoque pro zelo diuini cultus augendi, et pro sua Pastoralis sollicitudine totius gregis Dominici sibi curam spiritualis salutis comparandae studio attentus, eiusdem nostri predecessoris supplicationibus benignae annuens facultatem, et litteras supra dictas GREGORIO Pontificis sui predecessoris ita extendit, concessitque, et inuoluit, ut similiter Praepositus, seu Vicarius Generalis nostrae Societatis pro tempore existens non solum una, sed etiam plures Sodalitates siue Scholasticorum, tantum siue aliorum, uel in diuersis locis, siue in quocumque simul tam sub B. Mariae Virginis Annuntiatione, quam sub alia quacumque inuocatione, vel titulo in singulis Societatis nostrae locis, Ecclesijs, Domibus, vel Collegijs, necnon et in Seminarijs, quae Societatis cure commissa sunt, auctoritate Apostolica erigere, et instituire, illasque sic pro tempore erectas, et institutas Primariae Sodalitati praesertim aggregare, eisdemque Sodalitatibus sic pro tempore erectis, et aggregatis omnes et singulas Plenarias, vel alias Indulgentias, et peccatorum remissiones, vel relaxationes, necnon exemptiones, immunitates, ceterasque facultates, indulgentias, et priuilegia spiritualia, et temporalia ad Primariae, aut alius Sodalitatis sic aggregatis, et singula, Plenarias, vel alias Indulgentias, ac peccatorum remissiones, vel relaxationes, necnon exemptiones, immunitates, ceterasque facultates, indulgentias, et priuilegia spiritualia, et temporalia ad Primariae, aut alius Sodalitatis sic aggregatis, et aggregandis, etiam Sodalibus Scholasticis, et alijs concessa, et concedenda perpetuo uicariare, itaque ad eandem Congregationem, cuius Sodalibus et non Scholasticis indifferenter, et aequae principaliter extendere, ac et illis concedere, et largiri possimus, prout in diuersis litteris Apostolicis eiusdem Sixti Pontificis litteris explicatur. Quamobrem cum synecdoche nobis in Christo dilecti Domini Praefectus, et Assistentes Congregationis Primariae B. MARIAE quae in Residencia Nauacarnorensi nostrae Societatis est, suo et reliquorum illius Sodalium nomine, pro insigni eorum in Deum pietate, ac in Virginem Sacrosanctam deuotione a nobis petierint, tum per se ipsos, tum et per sincere nobis item dilectos Dominos praesertim Primariae Congregationis Romanae Praefectum, et Assistentes, et iuxta hanc facultatem nobis a Sede Apostolica tributam in eadem Residencia Nauacarnorensi Congregationem unam sub inuocatione Purissimae Conceptionis B. MARIAE Virginis erigere, eamque praesertim Primariae Congregationi aggregare uelimus. Nos eiusmodi pietatem non solum amplectentes, sed et magnopere laudantes, auctoritate nobis, ut supra diximus, concessa in eadem Residencia Nauacarnorensi Congregationem unam sub titulo Purissimae Conceptionis B. MARIAE Virginis erigimus, eamque Primariae Sodalitati Romanae coniungimus, et aggregamus, ac omnia Priuilegia, Indulgentias, et Plenarias, necnon et gratias alias praesertim Primariae, vel alijs illi, et superius dictum est, aggregatis Congregationibus hactenus concessas, et in posterum concedendas, eodem prorsus modo quo ipsi Primariae, et alijs Congregationibus concessae fuerint, comunicamus, et largimur. In nomine S^{mi} Trinitatis Patris, et Filij, et Spiritus Sancti, cuius diuinam Maiestatem supplices oramus, ut concessionem hanc de cetero ratam, et firmam habere uideat, et Sodales ipsos caelestium donorum, accessionibus auctos sibi in dies magis reddat acceptos, ac denique etiam aeternae gloriae competes suo, et B^{mae} Virginis cui praesertim, et religiose seruiuerint perpetuo dignetur aspectu. In quorum fidem praesertim manu nostra subscripseras sigillo Societatis nostrae muniti iussimus. Datis Romae die XX. Iulij. M. DC. XX. IV.



Matthias Vialleius

Franciscus Sachinus scilicet



Perg. 12

licencia del P. M. Villalón
para una congregación en San Sebastián.

